

**Nihil obstat de la
Sagrada
Congregación de
Religiosos, para la
erección diocesana
de la Sociedad
Sacerdotal de la
Santa Cruz; 11-
X-1943.**

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

14/01/2012

AGP, Sezione Giuridica, 111/15083.

EX SECRETARIA N.2777-43

SACRAE CONGREGATIONIS Romae
die 11 octobris 1943

DE RELIGIOSIS

Rev.me ac Exc.me Domine

Sacra Congregatio de Religiosis
diligenter perpendit quae Exc. Tua
exposuit de erectione canonica
Instituti Clericalis, juris dioecesani,
Sodalium in communi viventium
sine votis, cui titulus "Societas
Sacerdotalis S. Crucis", cuiusque finis
specialis est "institutio catholica et
professionalis adscriptorum
Universitatibus Studiorum"

Pergratum itaque mihi est E.T.
significare ex parte huius S.
Congregationis nihil obstare,
quominus juxta Can. 673 eadem E.T.
ad canonicam erectionem deveniat.

Hisce autem litteris conceditur
facultas ad decem annos valitura,
qua E.T., praevia sanatione omnium
quae sanatione indigent et ab S.
Congr. sanari solent, valeat
dispensare super defectu
incorporationis Societati vel aetatis,
ut Sodales, qui exemplo praestiterunt
observantiae, designentur tum ad
munus Praesidis tum ad alia munera
majoris momenti in Societate.

Quoad incorporationem primorum
Sodalium, Sodalis, servato
praescripto quo dignitate sacerdotali
auctus sit, qui ad munus Praesidis
designatus est, fidelitatem
perpetuam emittat coram Exc. T. vel
Sacerdote delegato, adhibita
convenienti formula; Consiliarii

aliique Officiales coram Praeside,
ceteri autem, qui per congruum
tempus ad observantiam laudabiliter
incubuerunt, emittant vel
oblationem temporariam vel
fidelitatem perpetuam, de judicio
Exc. Tuae, auditio Rev.mo Praeside.

Bona temporaria in favorem
Societatis forma juridice valida
constituantur.

Curet Exc. Tua ut, servatis
praescriptionibus Codicis J. C. ac prae
oculis habito fine speciali Societatis,
aptae edantur Constitutiones.

Decreto erectionis Societatis edito ad
normam Instruct. S. Congr. die; 30
nov. 1922, E.T. ad hanc S.C. exemplar
transmittere non dedignetur una
cum textu Constitutionum; transactis
vero decem annis a die erectionis,
relationem quoque de conditione
disciplinar; personali et oeconomica
Societatis.

Cuncta fausta a Domino adprecor et
permaneo Eidem Exc. Tuae

add.mus servus

+ fr. L. E. Pasetto

Secr.

Rev.mo ac Exc.mo

Leopoldo Eijo y Garay

Archiep. Matriten in Hisp.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/nihil-obstat-de-la-sagrada-congregacion-de-religiosos-para-la-ereccion-diocesana-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-11-x-1943/> (26/07/2025)